



**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XXI. De Jure dispensandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](#)

CAP. XXI.
De Jure dispensandi.

I.

Qui legibus ferendis & custodiendis inserviunt, s̄epissimē obser-
vant, plurimis in rebus præcipuum esse justitiae æquitatisque, quam
stricti juris rationem, ita ut oporteat haud raro legislatoribus
avynamētōe uti, suamque relaxare legem, & excipere quendam ex subdi-
tis, eique licentiam & facultatem diversum quid faciendi aut non faciendi
dare, sine quā licentiā legi alias esset obnoxius. Didac. Covarruv. tom. 1.
de matrimon. p. 2. c. 6. §. 9. n. 2. Albert. Bolognet. de leg. jur. &c. &c. 32.
n. 22. 23. Dispensationem vocant hodiē utriusque juris interpretes, voca-
bulo licet minus congruo, in hāc tamen significatione ubique recepto, &
quidem à Canonistis primum, quos secuti deinceps fuérunt juris Romani
Doctores. Antiquior Jurisprudentia *legibus solvere, juris gratiam facere,*
veniam concedere aut indulgere dixit. Sed usitatius ferē hodiē est vocabu-
lum *dispensandi*. Est autem temperamentum tale in applicandis legum
verbis valdē necessarium s̄enumeror, quod tales occurrere soleant cir-
cumstantiae, quæ ut exemptio aliqua & relaxatio statuatur omnibus mo-
dis s̄vadent. Et si enim legislatoris hāc debeat esse intentio, ut univer-
alem legi condendæ impertiat obligationem, & hoc ejus officium, ut legis ab
eo conditæ, ne vel minimam partem impune violari permittat, quandoqui-
dem in parvis cū peccatur, facile ad majora vel ignari vel inviti trans-
eunt, qui ea negligunt; tamen fieri vix potest, ut non aliqua subinde se in-
gerant exempla, quæ satius esse doceant, ut relaxetur obligatio legis, quam
ut strictum jus usurpetur. Eoque extendi potest interpretatio l. 3. ff. de
legib. quod jura constitui oporteat, in his, quæ *θητὸν τὸν αὐτὸν* accidunt,
non quæ *ἐν τῷ θελόγῳ*.

II. Idem s̄penumeror contingere circa canones in Ecclesiæ præscri-
ptos, jamdiu observarunt, qui illis tractandis operam suam & industriam
impendunt. Qui in Concilio Nicæno congregati fuérunt patres, postquam
illis, qui in fide parum constantes se præbuerant, poenitentiæ modum præ-
scripserunt can. 12. mox addunt: *In his autem omnibus observare oportet pro-*
positum & modum poenitentiae. Quicunque enim & timore & lacrymis & patientia
& bonis operibus conversionem absq; simulatione demonstrant, hi definitum tempus
auditioris implentes, tūm demum orationibus communicabunt, & postea licebit
Episcopo de his aliquid humanius cogitare. Φιλαράσπερον περὶ αὐτῶν βι-
λεύσσας. Ita & in Synodo Ancyranâ c. 5. quo similis poenitentiæ mo-
duis

dus describitur, mox additur: Episcopi autem potestatem habeant, modum conversionis eorum examinantes aut humanius agere, Φιλαρθρωπένεος, vel plus temporis adjicere. Ante omnia autem Σ præcedens vita Σ que consecuta est ex aminet, Σ sic eis clementia imperficiatur, ή Φιλαρθρωπία Πημενεοῦ. Φιλαρθρωπία vocant, quam alii elegantibus vocabulis συμπίται, συγκαταβασία, συνήθεια, συγχάρη, & οἰκοροπία dicunt, Latini indulgentiam, & veniae concessi nem. Et in hoc significatu Eulogius Episcopus Alexandrinus integrum tractatum scripsit ἀλλά τῆς οἰκοροπίας, h. e. de indulgentiā, moderatione, & ut hodiè loqui solemus dispensatione. Eodemque sensu οἰκοροπίας vocabulum apud Scriptores Ecclesiasticos alias occurrit, eique ut plurimum opponere solent πανηγύρι & τὸ αὐξεντικόν.

III. Ad eundem modum, si quando ab institutis canonicis ita recesserit aliqua Ecclesia, ut coercitio plus damni latura sit, prævalidis ita & adulatis vitiis, ut qui ulcus hoc tangat, non aliud effecturus sit, quam ut palam faciat, quibus vitiis impares simus, tum verò facilius erit, connivere nonnihil, & tempori intermixire, interea verò prospicere, ut deinceps evitetur id malum, quod tantas hactenus accepit vires. Id intelligens Innocentius I. epist. 23. ad Synodum in Toletanâ civitate congregatam, de illis, qui virtuosè ad sacerdotium promoti fuerant, hunc in modum rescripsit: *De ordinationibus, quas pravae consuetudinis vicio Hispanenses Episcopos celebrare cognoscimus, fuerat aliquid secundum majorum traditionem statuendum, nisi penderemus, ne perturbationes quam plurimas Ecclesias moveremus. Quorum factum ita reprehendimus, ut proper numerum corrigendorum, ea que quoquomodo facta sunt, non in dubium vocemus, sed DEI potius dimittamus iudicio.* -- -- Quæ si singula discutienda mandemus, non modicos motus aut scandala Hispaniensibus provinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus. Idcirco remittenda potius hæc putamus. Sed ne deinceps similia committantur, dilectionis vestre maturitas providere debebit, ut tantæ usurpationi, saltem nunc, finis necessarius imponatur, eo videlicet constituto, ut quicunq; tales ordinati fuerint cum ordinationibus suis deponantur.

IV. Hanc procedendi methodum approbarunt plerique omnes, qui ad Ecclesiæ regimen prudentiam aliquam necessariam esse duxerunt. Nota est sententia Augustini ex libro 3. contra Parmenianum Donatistam cap. 2. Hoc sanitas observat Ecclesiæ, ut cum quis fratum, id est, Christianorum intus in Ecclesiæ societate constitutorum in aliquo fali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est: atq; id cum ea dilectione fiat, de qua ipse Apostolus alibi precipit, dicens: ut inimicum eum non existimet, sed corripite ut fratrem. Ubi satis ostendit, quod cum meatus iste non subest, sed omnino de frumentorum certa stabilitate certa securitas maneat,

Tyy y 3

net,

net, id est, quando ita cuiusq; crimen notum est & omnibus execrabile appareat, ut vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma continere, non dormiat severitas discipline. In qua tanto est efficacio remendatio pravitatis, quanto diligentior conservatio charitatis. Tunc autem hoc sine labore pacis & unitatis & sine lesione frumentorum fieri potest, cum congregations Ecclesie multitudo ab eo crimine, quod anathematizatur, aliena est. Nec enim potest esse salubris a multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. Cum verò idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quam dolor & gemitus, ut per illud signum, quod Ezechieli sancto revelatum est, ille si evadere ab illorum vastatione mereantur. Si quis enim frater in aliquo certis dissimili criminis nominatur, & revera, si contagio peccandi multitudinem invaserit, divina discipline severa misericordia necessaria est. Nam consilia separationis & inania sunt & perniciosa atq; sacrilega, quia & impia & superba sunt, & plus turbant infirmos bonos, quam corrigan animos malos. Breviter & succinctè magis idem Augustinus ep. 50. ad Bonifac. docet, in hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras, non hujus aut illius hominis est periculum, sed popolorum strages jacent, detrahendum aliquid esse severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat.

V. Hanc praxin secutus Augustini σύζεον & Cyrillus Alexandrinus, cùm Episcopus Hierosolymorum Theodosii rescripto Palæstinarum administrationem accepisset, cum Proclo Episcopo Constantinopolitano non tantum rescripto illi consensum suum præbuit, & Episcopum Hierosolymorum sub novo isto titulo in communionem suam suscepit; sed etiam Gennadium presbyterum & Archimandritam indigne id ferentem, ideoque à Procli communione abstinentem admonuit, deflectendum sàpè esse ab rigore canonum. *Dispensationes rerum*, inquit, *nonnunquam cogunt parum quidem à debito rigore quosdam exire foras, ut majus aliquid lucrifaciant.* Sicut enim hi, qui mare navigant, tempestate urgente, naviq; periclitante anxiati quedam exonerant, ut cetera salvapermaneant: ita & nos cùm non habemus salvandorum omnium negotiorum penitus certitudinem, despiciimus ex his quedam, ne cunctorum patiamur dispensia. Extat apud Gratianum c. *dispensationes* i. q. 7. Idem Cyrus in epistola ad Proclum provocat ad exemplum Synodi Ephesinæ, quæ Theodori Mopsuestani Episcopi sententias, ex quibus virus & impietatem suam hauserat Nestorius, improbaverit quidem, sed à nomine ipsius Theodori abstinerit, quod propter celebritatem nominis, quæ superstes erat, metuendum esset, ne schisma aliquod inde excitaretur. His vero condemnatis, inquit, qui sic sapiunt, nullam Viri memoriam fecit dispensativi, d' ὀμογονίας, nec ipsum nominatim anathemati subjecit propter dispensationem, ne quidam ad existimationem Viri respicientes se ipsos ab Ecclesiis separarentur.

Dissen-

Dispensatio verò in his optima res est & sapiens. Si enim adhuc in vivis esset, & Nestorii blasphemiarum fautor, aut suffragari vellet iis, quae scripsit ipse, anathema etiam in propriâ personâ subiisset.

VI. Anno DI gliscebat, quæ acriter jándiu agitata fuerat, controversia de primatu inter Arelatensem ac Viennensem Episcopos, cuius supra mentionem fecimus. Ægrè tūm ferebat Avitus Episcopus Vjenensis, Symmachum Pontificem Romanum stare ex partibus Arelatenlis, qui tūm erat Ænior. Itaque scriptâ epistolâ ad Pontificem, quid Anastasius ejus antecessor, de controversia illâ judicaverit, & quam alienus à Symmachî hâc sententiâ fuerit, in memoriam revocat. Symmachus, ut excusaret suum istud factum, Avito respondet, noluisse se præjudicare cujusquam juri & privilegio, neque se in hâc causâ satis instructum fuisse; salvas igitur adhuc esse Avito suas allegationes. Neque Anastatii factum probari posse, nisi rationabilem habuisse causam constet. Hanc enim sustinere id, quod præter Ecclesiæ consuetudinem & antiqua prædecessorum statuta factum fuerit. Postea ostendit, leges Ecclesiasticas aliquando propter certas circumstantias solvi & relaxari oportere. *Quod sit præter regulam,* inquit, *modo sit ex justâ causâ, non infringit regulam, quam sola pervicacia & antiquitatis contemptus lœdit.* Nam quamvis à Patribus statuta diligentí observatione & observantí diligentia sunt custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod & ipsa lex cavisset, si prævidisset. Et sepè crudele esset insistere legi, cum observantia ejus esse præjudicabilis Ecclesiæ videtur, quoniam leges eâ intentione latæ sunt, ut proficiant, non ut noceant. Epistola reperitur in supplementis Conciliorum Gallie à Petro De la lande editis, pag. 45.

VII. Hanc doctrinam in epistolis suis sèpissimè repetit Ivo Carnotensis, quarum aliqua hoc pertinentia fragmenta operæ pretium erit adscribere. In epist. 147. agit de conditionariis ex familiâ Comitis Carnotensis, & fiscalinis regiis, quos utrosque, quod servitutis quandam speciem gerent, à beneficiis Ecclesiasticis Carnotensis exclusos voluerunt canones & privilegia specialia. Sed cùm inde haud leves subinde excitatæ essent turbæ petiit Ivo à Paschale Pontifice Romano, ut gratiam illis facere, & privilegium revocare vellet. Quoniam, inquit, *Patres nostri antecessores vestri in multis negotiis aliqua severitati detraxerunt, in quibus salus minime periclitabatur, ut majoribus malis amovendis operam darent: ea fiducia flexis genibus cordis majestati Apostolicae supplicamus -- -- ut conditionarios de familiâ Carnotensis Comitis, qui de legitimo conjugio nati fuerint, & regios fiscalinos, pro quibus similis perturbatio fieri posset, de privilegio, quod eidem Ecclesiæ fecisti de non admittendis conditionariis, excipiatis, & in eundem statum, in quo erant ante privilegium, redire jubeatis. -- -- Aliter quippe damna, scandala, pertur-*

*perturbationes intus & foris, contentiones, irae, rixae, que omnia ista de causa ora-
ta sunt, & quotidie oriuntur, sedar non possunt &c.*

VIII. In epist. 171. consulenti Daimberto Senonensem Archiepisco-
po, quid faciendum, si quando à canonibus dissentiat voluntas Regis, re-
spondet, dispensatione opus esse, & in eam rem adducit verba Cyrilii & Au-
gustini supra à nobis recitata. Et hoc eodem argumento apud Patchalem
Pontificem epist. 190. excusatum putat Radulphum Ecclesiæ Remensis
metropolitanum, quod contra præceptum & interdictum Pontificis Re-
gi Francorum fidelitatem jurasset. *Quod per svadentibus, inquit, & impellen-
tibus totius curiæ optimatibus eti propter mandatorum rigorem minus licebat,
factum est tamen, quia Ecclesiasticae paci & fraterne dilectioni sic expediebat.
Cum enim plenitudo legis sit charitas, in hoc legibus obtemperatum esse credimus,
in quo charitatis opus impletum esse cognovimus. -- Si enim vult Apostolica
auctoritas omnia, que medicinali cordescensione dispensantur, districte judicare,
oportebit penè omnes ministros administrationibus suis renunciare, aut de mundo
exire, nec habebunt, ubi seminare spiritualia, nisi, permittantur aliqua tolerare
carnalia. Unde necessitati temporum cedendum esse Apostolica docet sublimitas,
& orthodoxorum consultit auctoritas &c.*

IX. Flagrabat tūm temporis totus occidens funestis illis contenti-
onibus, quæ à Pontificibus Romanis propter investituras Episcoporum exci-
tatae erant. Dumque à Pontificibus aliud, aliud ab Imperatoribus & Regi-
bus subinde decerneretur, anxiæ sœpe erant Episcopi, quid sibi in tantis mo-
tibus agere expediret. Et videtur sanè Ivo aliquando inclinasse in partes
Regias, quibus sufficiendis ad confuetudinem inveteratam provocat in
eâdem epistola. *Quam, scil. fidelitatem, prædecessoribus suis Regibus Franco-
rum antea fecerant omnes Remenses Archiepiscopi, & ceteri regni Francorum
quamlibet religiosi & sancti Episcopi. Quicquid hujus sit, ex dispensationis ra-
tione excusari posse putat Ivo, si quid pontificis iussibus contrarium factum
fuerit. Eò enim pertinet etiam ejusdem epist. 214. quam in eâdem causâ
scripsit ad Brunoniem Trevirensem Episcopum, inter alia his verbis: Ad
hanc unitatem (regni & sacerdotii) resarcendam laborare debent membra Christi, que medicinaliter ferro putredines istas refescarent, aut competenti dispensationis
malagmate tantam scissuram procurarent solidare. Non enim in tanto salutis
periculo solus medicina rigor servans est, sed & dispensationis modus, qui nulli sa-
pieni displicuit ad sedandas tantas perturbationes in aliquibus admittendus est.
Monente enim Cyrillo Alexandrino, sicut nautæ in mari periclitantes, cum non
babent spem servandorum omnium negotiorum suorum, quedam projiciunt, ut que-
dam servent: sic in dispensationibus Ecclesiasticis, ubi non periclitatur fidei veri-
tas & morum honestas, quedam instituta temperare debemus, ut tantis Ecclesiæ
ruinis subvenire valeamus. -- Facit hoc charitas, que operit multitudinem
peccatum*

peccatorum, que cum infirmantibus infirmatur, cum scandalizatis uritur, & omnibus omnia fit, ut omnibus prodiisse mereatur &c. Talia ex Ivironis epistolis addi possent plura, in primis ex epist. 231. 234. 236. 250.

X. Jungenda illis sunt verba Goffridi Vindocinensis Abbatis ad Calixtum Papam: *Dispensationes aliquando in Ecclesiâ facienda sunt, non quidem amore pecunie vel quolibet humano favore, sed piâ & misericordi intentione. Tunc enim à pastore Ecclesiæ dispensatio piè & misericorditer fieri creditur, cum aliquid minus perfectè ad tempus fit ab illo vel fieri permittitur, non voluntate suâ, sed aliorum necessitate, ne in ipsis videlicet fides Christiana pericitetur. Sic igitur facienda est dispensatio ab Ecclesiâ, ut semper fidei nostræ veritas instruatur, & si quid aliter ad horam factum fuerit vel promissum, opportuno tempore corrigatur.* Et paulo post: *Possunt etiam & debent fieri dispensationes, quibus Ecclesiarum & monasteriorum consuetudines immutentur, sed ubi postponitur minus bonum, ut quod est melius, instituitur &c.*

XI. Potestatem hanc dispensandi circa censuras & poenias Ecclesiasticas Episcopis competere patet ex can. 12. Concilii Nicæni & can. 5. Concilii Ancyrani supra adductis. Quâ quidem in re multo amplior est potestas, quæ competit Episcopis potestate eâ, quæ competit judicibus secularibus. Suam enim sententiam mutare nemo judicum potest l. 27. ff. de pœn. & pœnam suâ dictam sententiâ præfidi provinciæ revocare non licet, l. 15. C. eod. Judex enim posteaquam semel sententiam dixit, postea judex esse definit, & hoc jure utimur, ut judex, qui semel pluris vel minoris condemnavit, amplius corriger sententiam suam non posset; semel enim male seu bene officio functus est, l. 55. ff. de re jud. Et propterea de ampliandâ vel minuendâ pœnâ damnatorum post sententiam dictam sine principali autoritate nihil est statuendum. l. 45. §. 1. ff. eod. l. 1. §. ult. ff. de qq. Vid. Hug. Donell. ad l. 42. ff. de R. J. At Episcopus post condemnationem, vel remittere potest pœnam indictam, vel pro re natâ etiam augere, uti statuitur d. can. 5. Ancyrano. Et hoc jam diu observavit Theodorus Balsamon in commentar. ad Basili. can. 74. Et ex his scies, inquit, quod est differentia inter judices, qui pronunciant corporales punitiones adversus eos, qui sunt criminibus obnoxii, & Episcopos, qui decernunt pœnas ecclesiasticas adversus eos, qui animæ peccata confitentur. Illi enim pœnas à lege constitutas nec possunt augere nec minuere sine iussu Imperatoris. Hi verò nostrorum peccatorum onera suscipientes, tanquam DEO pro nobis rationes reddituri, & pro suo arbitratu pœnas & augent & minuunt, & idè in eorum est potestate non solum pœnarum tempora minuendi, sed etiam pœnas commutandi. Etsi enim, verbi gratiâ, constitutum est, ut qui hoc vel illud peccatum commisit, carnem non comedat, nec cum fidelibus confiat, similiter nec sit divinorum Sacramentorum per-

Z z z

trictus

triennium particeps: qui tamen confessionem suscepit, pro persone, cui pœna imponitur qualitate & ejus confessionis vehementia & pœnitentiae studio, has quidem pœnas moderabitur, illas verò multiplicabit.

XII. Sic igitur obtinebat olim in Ecclesiâ, ut in negotiis, quæ disciplinam Ecclesiasticam spectabant, vel summo jure uterentur Episcopi, vel remiso. Et remisso quidem tūm demum, si quando vel pax & concordia Ecclesiastica restituenda, vel maius aliquod malum metuendum esset. Tūm enim necessarium videbatur, aut utile saltem, ut clementiæ modus adhiberetur. Et hæc quidem indulgentia potissimum exercebatur tūm, si qua forte vitiola præcessisset ordinatio, aut si quod dubium existeret de Clericis vel Episcopis ab hæresi redeuntibus, quatenus in gradu suo suscipi aut tolerari deberent, aut si quod schisma metuendum esset, aut si pœnitentiæ rigorem temperare necesse esset, aut si qua alia circa disciplinam Ecclesiasticam nascerentur incommoda, quæ remissius agere juberent. In causis matrimonialibus rario olim fuit dispensatio, eō quod non concederetur tūm temporis venia infringendi canonis, sed tantum infraicti. Neque ergo aliquis tūm ejus fuit usus, nisi postquam factum infectum reddi non posset. At ex noviore jura multa alia accesserunt dispensationis capita, non in gradibus tantum prohibitis, re adhuc integrâ, sed etiam circa combinationes beneficiorum, circa residentiam, circa eleætiones & postulationes, & ejusmodi alia, quæ nullis omnino veterum canonibus nituntur.

XIII. Ut verò dispensatio excusata dici posset, duo hæc maxime cavebant veteris Ecclesiæ Doctores. Primum, ut nihil indulgeretur, quin utilitate publicâ compenlaretur. Publicâ, inquam, privatæ enim nulla tūm habebatur ratio. Deinde, ut potestas dispendandi non excederet aut egredieretur potestatem ~~reipublicæ~~, cùm nemo de lege, nisi qui eam dedit, dispendare possit. Ex quo sequitur, non nisi circa leges ecclesiasticas positivas dispendandi hanc potestatem versari. Et tertio, ut in tali negocio potissima charitatis haberetur ratio. Methodum istum præcærteris omnibus enucleatè tradit Ivo Carnotensis in prologo, quem præmisit Decreto à se concinnato, ex quo aliqua hic adscribere operæ erit precium. Hujus, inquit, edificationis magistra est charitas, quæ saluti proximorum consulens, id præcipit alijs fieri, quod sibi quisque vult ab aliis impendi. Quicunque ergo Ecclesiasticus Doctor ecclesiasticas regulas ita interpretatur, aut moderatur, ut ad regnum charitatis cuncta, quæ docuerit vel exposuerit referat, nec errat, nec peccat: cùm saluti proximorum consulens ad finem sacræ institutionib[us] debitum pervenire intendat. Et porro: Præceptiones & prohibitions alie sunt mobiles, alie immobiles. Præceptiones immobiles sunt, quas lex æterna sanxit: quæ observata salutem conferunt, non observatae tandem auferunt.

ferunt. --- Mobiles verò sunt, quas lex æterna non sanxit, sed posteriorum diligentia ratione utilitatis invenit: non ad salutem principaliter obtainendam, sed ad eam tutius muniendam. --- In his igitur, in quibus observatis salus acquiritur, vel in quibus neglectis mors indubitate consequitur, nulla est admittenda dispensatio: sed ita sunt omnia mandata, vel interdicta servanda, sicut sunt æternæ lege sancita. In his verò que propter rigorem discipline, vel muniendam salutem posteriorum sanxit diligentia, si honesta vel utilis sequatur compensatio, potest precedere autoritate præsidentium diligenter deliberata dispensatio. --- Multa quoque principes Ecclesiarum pro tenore canonum districtiūs judicant, multa pro temporum necessitate tolerant: multa pro personarum uilitate vel strage populorum vitandâ dispensant &c.

XIV. Ad duplum hanc causam omnisi olim redacta fuit dispensationis ratio, ad causam scil. necessitatis, & ad causam utilitatis. Nam & utriusque eadem ferè solet esse auctoritas ad impetrandum dispensationem, & eadem ferè subest causa utrobique, & plerumque par utriusque ratio. Utramq; conjunxit Bernhardus lib. 3. de considerat. ad Eugen. c. 10. dum ait: Quid, inquis, probibes dispensare? non, sed dissipare. Non sum tam rufus, ut ignorem positos vos dispensatores; sed in edificationem, non in destructionem. Deinde queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria. Nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Utramque istam causam conjunxit Concilium Meldense, & Gelasius apud Gratianum c. tali & c. et si 1. q. 7. Necessitas tamen magis cogit, & inimica magis est libertati, neque excusatius quis peccat unquam, nisi quando suo non amplius relictus est arbitrio. Necessitas, inquit pater Seneca, magnum humane imbecillitatis patrocinium omnem legem (humanam scilicet, aut ad humanæ modum factam) frangit. In utilitate verò & bono ex eâ resultante obtinendo deliberatione opus est, cùm sub specie utilitatis ingentia lèpè damna aliquando eruptura latere soleant. Et quidem, ut Bernhardus ait d. l. utilitas communis, non propria, attendi debet, ut scil. ipsa tota Ecclesia inde habeat emolumendum.

XV. Hæc erat disciplina veterum, & hic dispensationum modus, quæ proinde rariores erant, & consideratæ magis, minusque adversæ sanctitati morum. Potissimum autem cavebant, ne legis divinæ, quæ ex naturalibus & moralibus præceptis constat, ambitum involarent, & in eâ quicquam mutarent. Hanc enim immobilem dixit Ivo d. l. semper firmam & immutabilem Imperator §. 11. Inst. de J. N. G. & C. propterea, quod, qui dispensare de lege aliquâ velit, superior eâ esse debeat, id verò hominibus circa legem divinam non competit. Optimè Cicero lib. 3. de

Rep. apud Lactantium lib. 6. cap. 8. Est quidem vera lex recta ratio, nature congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna: que vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat. Huic legi nec prorogari fas est, nec derogari ex hac aliquid licet, neq; tota abrogari potest. Nec vero aut per Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus, neque querendus est explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia post bac. Sed q̄ omnes gentes & omni tempore, una lex & sempiterna & immutabilis continabit, unusque erit communis quasi magister & imperator omnium DEUS. Ille hujus legis inventor, disceptator, sator. Cui qui non parebit, ipse se fugiat, & naturam hominis aspernabitur &c. Ecclesiasticæ autem leges habent sese uti leges civiles positivæ, nisi quod paulo liberior in his, quam in illis condendis sit voluntas legislatoris, cum leges Ecclesiasticæ normam semper præfixam habeant Scripturam Sacram. Cum itaque ἀδιαφορία aliqua & quæ in rebus Ecclesiasticis atque in civilibus inveniatur, poterit illa per decreta tolli, certumque aliquid deinceps ab omnibus observandum determinari, ita tamen ut pro re natâ & exigente ita usu mutari istud & relaxari iterum queat. Sed summâ prudentiâ tūm opus est, nec sine accuratâ causæ cognitione decernendum est quicquam, nec ad specialem istam causam unicè respectus habendus, sed in totâ suâ latitudine considerari simul debet Ecclesiæ status. Ut enim in condendis legibus non considerandum, quid in casu particulari expedit, sed quid communiter, ita in tollendis legibus non considerandum, quid mali in casu particulari, sed quid mali absolutè consequatur, uti rectè monet Franciscus à Victoria relect. 4. num. 11. ubi sub num. seq. consilium addit istud, ut prohibeatur dispensatio absolutè, aut statuatur lege, in quo casu Papa possit dispensare.

XVI. Jure enim noviore & frequentiores esse cœpérunt dispensationes, & insolentiores, præsertim in talibus negotiis, qualibus olim nulla planè dispensatio impertiebatur, adeò ut in meram licentiam degeneraverit ista Episcoporum potestas. Privatorum olim nulla habebatur ratio, sed, uti dixi, commune bonum, & communis necesitas attendebatur. At hodiè utramque paginam facit nobilitas sanguinis, scientia singularis, meritorum præstantia, & quod caput est, favor pontificis, quandoque etiam largitio & liberalitas pétentis, non propter bonum publicum amplius & ob publicam causam, sed unicè propter emolumentum petentis privatum, neque propter violatos jam canones, sed propter violandos, ne illi faciendo & perpetrando actui resisterent. Istæ verò corruptelæ gravissimas viris cordatis querelas extorsérunt, qui salutem Ecclesiæ non alter procurari posse putarunt, nisi dispensationibus tam frequentibus fibula injiceretur. Prudenter in ipso Concilio Tridentino differuit Episcopus Lucensis, multa esse de quibus si Synodus decreta velit formare,

mare , & ea indispensabilia declarare , ad cultum Dei & Ecclesiae salutem plurimum adjumenti sperandum esset. Esse nonnulla, quæ Pontificum dispensationes non admitterent. Et si casus aliquis rarissime contingens, semel in seculo causam justam in his dispensandi obtulerit, ne illo quidem casu dispensationem justam fore, & excusabilem. Siquidem convenire, ut privatus quivis aliquid gravaminis sustineat, dummodo id insigni beneficio publico cedat. Quin etiam ubi casus frequentes occurrere possunt, qui dispensationem mereantur, ad demendas occasiones impetrandi supplicationes & gratias surreptitias, quæ in animarum damnum vertunt, præstare præparcum esse quam liberalē. At vero aliis hodiè vivitur moribus, & fiunt dispensationes sœpè sine justâ causâ & circa ipsam legem divinam, quod omnino detestandum est.

XVII. Unicum addam Claudii Espencæ Theologi Parisiensis testimonium, qui in cap. 1. epist. ad Tit. corruptelas istas his perstringit verbis: *Annon aἰχματικὴ εἶδος είσται κλαρίσσιμα, τὸν ταῦτα ποστίῳ τάντον δικαιούμενον πρόστιμον προσβάλλειν; Εἴ τοι δηλωθεῖται ἐπιτέλος τούτων, τότε ποστίῳ τάντον δικαιούμενον προσβάλλειν; Εἴ τοι δηλωθεῖται προσβάλλειν τούτων, τότε ποστίῳ τάντον δικαιούμενον προσβάλλειν;* *Clarissima est clarissima, quod tam multa positivo tantum jure precepta vel prohibita eosq; ligant homines, donec pecunia sibi barum constitutionum gratiam impetrant? ita ut regina rerum pecunia divitibus licitum faciat, quod pauperibus illicitum est, quia divitias, b.e. spinas non habent. Hæc enim ita demum procedunt, si gratias ea facere quis intendat. Quod si dolosi spes refusserit nummi, jam quod prius erat interditum, liberè sit ac impune. Tam diversa est in his relaxandis divitis atq; pauperis conditio. Vix enim quicquam prohibetur, quam ut ne quis gratis contraveniat, & quod vetatur, numerata statim pecunia dispensatur, quasi nullum sit peccatum majus, quam nummis carere. --- In casibus enim quantumvis pro tempore honestis aut necessariis nihil unquam, nisi numeretur, dispensatur, ut si nihil attuleris, aut numeraveris, indispensatus perpetuò maneas. Turpius, quod patrum canonibus impositam manifestis & scandalosis peccatis disciplinam in pecuniariam redemptionem dispensationis titulo toties iidem commutant, & quasi contra quam illi, ovium bilanam & pecuniam, quam pœnitentiam & salutem malint, Ecclesiastici rigoris in inferendis pœnitentiis & satisfactionibus immunitatem pecunia venditant &c. In sequentibus exempla quædam refert lucrosæ istius dispositionis, & in primis calamum stringit in taxam Cameræ seu Cancelleriæ Apostolicæ, in quo, inquit, plus scelerum discas licet, quam in omnibus omnium vitiorum Summissis & Summaris.*

ZZZ 3

CAP. XXII.